

ANNOTATA ANTI-GROTIANA

- “ Sic & in glossario : *ὀικονόμος dispensator*. Pertinet hoc nomen primum  
 “ ad privatorum, deinde & ad publicæ rei arcarios, ut dictum Luc. XII.  
 “ 41. 1, Cor. IV. 1.

Non tam ad erigendos, quos non deiecisse videri poterat, sed omnino ob contentiones excitatas deiecerat; quàm ad officii Apostolici estimationem hæc dicuntur, ut agnita ejusdem dignitate, tum fide, & conjunctâ humilitate nec efferantur, ipsi, nec inflatorum sermonem, sed exemplum potius & verbum Patrum suorum in Christo sequantur. Unde Lyranus rectè *συνέχεται* notat: Postquam Apostolus reprehendit Corinthios de hoc, quod aliquibus ministris nimis attribuebant, hoc contra arguit eos de hoc, quod aliquos nimis contemnerent. Et Musculus in h. I. *Quicquid de Pseudo-Apostolis vestris sentiat, de nobis utut contenditis hoc est sentiendum, quod sumus Christi ministri, dispensatoresq; mysteriorum Dei. Nec supra hoc quicquam, nec infra de nobis sentiat. Nam utrumq; cedit ad ignominiam Christi. Ministri sumus & dispensatores; igitur non adorandi, velut Domini. At rursus sumus Christi ministri, & mysteriorum Dei dispensatores, & hoc nomine non abjiciendi; sed propter Christum audiendi.* Porro cum duo in Corinthiis reprehenderit vitia, in auditoribus judicandi de doctoribus temeritatem, in doctoribus arrogantiam & tumorem, jam quales doctores haberi debeant docet, & doctorum arrogantiam suam opponit humilitatem. Vocat autem se *ὑπηρέτην χειρῶν*, ubi vocula *ῶν* non comparationis sed veritatis est. Vox autem *ὑπηρέτης* vox laboris & erumnarum est, annotante Aretio. Est enim verbum *ἐρέω* remigo. Hinc *ἐρητοὶ* remiges, & *ὑπηρέσια* servitium quaecumq;. Quare Christi ministri confitentur, se ad remos sedere ubi ad nutum naucleri Christi indefesso labore sit remigandum, quæ cogitatio franget supercilium gloriæ & dignitatis. Alii tamen malunt, hic usum Biblicum locum habere, quo *ὑπηρέτης* non servum quemvis gregarium, sed publicum & Regium ministrum significant Prov. XIV. 35. Sap. VI. 5. Job. VII. 45.

Vox *ὀικονόμος* à νόμος lege oriunda infert dexteritatem administrationis, ut omnia legitimè, decenter, atq; ordine fiant, ac præsupponit *ὀικονομοσύνην*, quam vocem ex Ebræo *שֹׁנֵן* explicat Forsterus in Lex: p. 37. quod dispensatorem, nutritium significat, & à fide deducitur. Per *μυστήρια* verò arcana Evangelii significari, certum est, quæ cum omnibus ejus thesauris cœlestibus dispensant ministri verbi, non exclusis sacramentis, quæ Evangelii *σφραγίδες* sunt, & fidei ministrorum verbi itidem credita sunt.

Matt. XXIX.